

inuria fecundam appellare libuit, quod multifariam ac mirandam utilitatem in-
star fecundæ arboris parere soleat.

VNDECIMVM PROBLEMA.

Descensionem obliquam stellæ cuiuscunq; numerare.

Inuenta differentia ascensionum stellæ propositæ ex præcedenti documento, ad-
de eam ascensioni rectæ ipsius stellæ declinationem septentrionalem habentis,
vel minue huiusmodi differentiam ascensionum ab eâ, si declinatio stellæ fuerit
meridiana. Nam quod colligetur aut residuabitur, erit descensio obliqua stellæ
propositæ.

Hic non est opus exemplo aliquo speciali, cum differentia ascensionum, quæ
prius addita est, pro ascensione obliqua habenda, hic subtrahitur pro descensione
obliqua, & e contra, quæ ibi subtrahitur, hic additur.

DVODECIMVM PROBLEMA.

Arcum semidiurnum Solis vel alterius stellæ

cuiuscunq; cognoscere.

Inuenias modo prædicto 10. problematis, differentiam ascensionum stellæ, quæ *Differen-*
est etiam dimidia differentia diei æquinoctialis & diei inæqualis stellæ. eam igitur *tia ascen-*
90. gradibus adiunge, si stella declinationem septentrionalem habuerit, aut eam *sionalis*
ex 90. gradibus minue pro stella declinationem habente meridianam. *quid sit.*

Sic enim vel conflabis vel residuabis arcum semidiurnum stellæ propositæ,
quo demum ex 180. gradibus demto, relinquetur arcus seminocturnus. Et item
arcu semidiurno duplato arcus diurnus, & seminocturno geminato nocturnus pro-
dibit arcus.

Quorum utrumvis si per quindenos quidem gradus partiaris, numerus hora-
rum æqualium ei respondentium profiliet: per duodenas autem particulas si secu-
eris, quantitas horæ inæqualis vel temporalis emerget.

Idem quoq; efficeret per differentiam ascensionum, aut dimidiam dierum differen-
ntiam. Nam si eam per 15. diuiseris, & numerum quotiens senario addideris pro se-
ptentrionali declinatione, aut ex ea dempseris pro meridiana: habebis numerum ho-
rarum æqualium temporis semidiurni, cuius duplum horas totius diei numerabit.

Si deniq; eandem differentiam ascensionum per senarium distribuieris, & nu-
mero nascenti 15. adieceris pro septentrionali declinatione, aut ex 15. dempseris
pro meridiana, resultabit quantitas horæ inæqualis.

Verum arcus diurnus Solis alia lege computari poterit. subtractis enim ascen- *Arcus di-*
sionibus obliquis loco Solis vero respondentibus, ab ascensionibus obliquis puncto *urnus Sol-*
ei diametraliter opposito pertinentibus, relinquetur arcus diurnus solaris. Idem *is quomo-*
quoq; modus obseruabitur de quocunq; puncto eclipticæ, tamen si Sol in eo nõ fuerit. *do com-*
Quòd putandus.